

tum dicunt: Diligit gentem nostram, Synagogam ipse edificavit nobis. Notat D. Bonaventura ex D. Augustin. suum amorem non tantum ostendisse verbis, sed etiam operibus: Erant isti Seniores, ac viri prudentissimi, & videbant quod Christus D. ferventi charitate, & amore in suam gentem aestuabat, & inde pro certo apud se statuerunt, quod Christus maxime erat alliciendus ad diligendum Centurionem, & ad desideratam pueri sanitatem condendam ex amore, ac beneficentia impensa in suos, quam ex quolibet alio motivo. D. Aug. de Catechif. rudibus cap. 4. ait: Quilibet diligit diligentes se, diligentesque suos.

133. Cum Iudas Machabæus pararet bellum adversus impium Nicanorem, & esset in magno discrimine, apparuit ei Onias, qui fuerat summus Sacerdos, vir bonus, simul vidit alium virum ætate, & gloria mirabilem, & cum interrogasset, quisnam esset? Respondit Onias: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate, Jeremias propheta, 2. Machab. cap. 15. n. 14. Qui extendit, & dedit aureum gladium benedictum à Deo; commune tamen dubium est, cur ex omnibus Prophetis solus Jeremias, cur non potius Isaias, Ezechiel, vel Daniel, vel alius: Communis omnium interpretum vox est cum D. Paschal. Ter, qui præ omnibus fuit populi sui eximius amator, qui multum pro ipso orabat, ejusque ruinas maxime lamentabatur, tam intimus impensus, ac sigillatus hic amor populi in Jeremia fuit, ut mors potuerit ipsum ab operationibus sensitivis privare, & videre, & loqui in die, & ambulare, ut amor populi sui ita sigillatus, ac impressus, permaneret, ut posset ipse Propheta interire, quin ejus amor deliquit pateretur imo vivacius revivisceret; nam in vita solum Jeremias orabat, at post mortem non solum Jeremias orat, sed insuper impendit gladium, ad defendendum, & expugnandos, ac destruendos adversarios.

2. Mach. D. Pasch. Amor sui populi intus radicatus etiam post mortem.

Act. 3. num. 25. Vos estis filii Prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham, & in nomine tuo benedicentur omnes familie terræ.

Num. 2. 6. Vobis primum Deus suscitans Filium suum mistreum, benedicientem vobis, ut convertat se unusquisque à nequitia sua.

VERSIONES.

Syrus. n. 25. Et fœderis, quod posuit Deus, &c. Et terræ benedictionem consequentur.

Syrus n. 26. Dum benediceret vobis, si fueritis conversi, & poenitentiam egeritis à flagitiis vestris, &c.

Occum. Dum convertimini unusquisque à malitiis vestris.

Vatallus. A malitiosis studiis vestris.

Ethiopic. Ut respiscatis à malitia operum suorum.

EXPOSITIO XI.

134. Ver. 25. Os estis filii Prophetarum. Vehemens ad virtutem stimulus, majorum vir-

tus, ne quis ab ea degeneret, & ideo dicuntur filii spirituales Prophetarum in fide, religione, ac doctrina, à qua non debent degenerare, ac in omnibus tenere, & sequi. Et testamenti, Syriacus fœderis, & ita scribit D. Hieronymus lib. qq. Hebraic. in Genes. cap. 17. Ubicumque in Græco legi ut testamentum, ibi est fœdus, seu pactum Hebræ. Hoc autem pactum quod in ipso essent benedicendæ omnes generationes, non solum factum est post sacrificium Isaac, Genes. 22. n. 17. ut vult D. Ambros. lib. de Abrahamo cap. 8. sed etiam in aliis locis, ut Genes. 12. n. 3. & cap. 18. n. 18. ut notarunt Pererius, & Caiet. Filii autem fœderis, seu promissionis divina vocantur Iudæi, ad illos pertinet fœdus principaliter, seu promissio de Christo Iesu vero Messia, sicut & Christiani vocantur filii novi Testamenti, quia ad ipsos virtute sanguinis Jesu Christi pertinent omnia Sacramenta, ac cætera dona contenta in lege gratiæ.

In semine tuo. Quod exponens D. Paulus ad Galatas 3. n. 16. ait: Dicitur esse in semine, & non in feminibus quasi in multis, & quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus. Quia nobis salus non in multis, sed in uno solo Iesu filio Abraham, & filio ex posteris ejus. Benedicentur. Iustificabuntur, & salutem assequentur; omnes familie terræ Benedictio Dei non est tantum verbalis, ut est hominum, sed realis multa, & magna dona secum afferens, utpote beneficium supremi Domini, Deus ad Abraham, Genes. 12. n. 2. Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum. Sic in multis locis Genes. 26. n. 3. & 26. 2. Reg. 6. n. 11. & 12. Dei benedictio multa dona secum portat.

Ver. 26. Vobis primum, id est primò, ac directè, Missus est Christus ad Iudæos, ut verus Messias promissus eorum Patribus, sic dixit Christus mulieri Chananæ: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel, Matth. 15. n. 24. Suscitans Alludit D. Petrus ad dictum Moyis: Prophetam suscitabit vobis Deus, D. Chrysof. Occum. ad resurrectionem ex mortuis referunt.

Filium suum: Beda ait: illum ipsum, quem proximè antea vocaverat semen Abrahæ, sic & Lyran. filium intelligit cum relatione ad Abraham, ac fit, Filium ejus: At vero si cum Chrysof. hoc referat ad resurrectionem suscitans, cum ait filium suum intellige filium ipsius Dei, benedicente, hoc est benefaciente vobis. Exclama cum D. Chrysof. O summa, & infinita bonitas! Qui Crucifixus est, suos crucifixores benedixit. Convertat se, ut ejus benedictione fruatur, quæ conversio pendet à nostro libero arbitrio, quia, ut ait D. August. ser. mon. 15. de verbis Apostoli cap. 11. Qui fecit se sine se, non justificabit se sine se.



CAPUT IV.

- 1. Loquentibus autem illis ad populum supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi, & Sadducei.
2. Dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis.
3. Et iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum; erat enim jam vespera.
4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia.

5. Factum

5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scriba in Jerusalem.

6. Et Anna Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali.

7. Et statuentes eos in medio interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?

8. Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & Seniores audite.

9. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste saluus factus est.

10. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

11. Hoc est lapis, qui reprobatus est à vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli.

12. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

13. Videntes autem Petri constantiam, & Joannis, comperito, quod homines essent sine literis, & idiota, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant.

14. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

15. Jussit autem eos foras extra Concilium secedere, & conferebant ad invicem.

16. Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare.

17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18. Et vocantes eos denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.

19. Petrus vero, & Joannes respondentes; dixerunt ad eos: si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicare.

20. Non enim possumus; quæ vidimus; & audivimus non loqui.

21. At illi comminantes dimiserunt eos: non invenientes quomodo punirent eos propter populum; quia omnes clarificabant id; quod factum fuerat in eo quod acciderat.

22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

23. Dimissi autem venerunt ad suos: & annuntiaverunt eis quæntia ad eos Principes Sacerdotum, & Seniores dixissent.

24. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti celum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

25. Qui Spiritu sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi medicari sumi inania.

26. Aspiterunt Reges terra, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

27. Convenerunt enim verè in Civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum genibus, & populo Israel.

28. Facere quæ manus tuæ, & Concilium tuum decreverunt fieri.

29. Et nunc Domine respice in minas eorum, & deservis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.

30. In eo, quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu.

31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur Verbum Dei cum fiducia.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.

33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis.

34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant.

35. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

36. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretandum Filius consolationis) Levites, Cyprius genere.

37. Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.



ARGUMENTUM.

ETRUS, & Joannes, dum prædicant Christi resurrectionem, incarcerantur, & bis vocati in Concilio, & ibi generosè, ac intrepidè Christi causam agunt, laudantes Deum redeunt ad suos, & novam gratiam, ac robur ab Spiritu sancto accipiunt; Fideles summa concordia, ac unione inter se vivunt, & possessiones promiscuè vendebant, inter quos numeratur Barnabas.

Act. n. 1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi, & Sadducei.

Nam 2. Dolentes, quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis.

Nam 3. Et iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum, erat enim jam vespera.

Nam 4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.

In hoc libro Lectionum varietas non multum discrepat a nostra vulgata, ubi fuerit aliqua diversitas simul cum expositione adnotabo.

Versiones

CUM EXPOSITIONE I.

1. Lucifer. Vers. 1. O quibus autem illis ad populum. Lucifer, cum loquerentur ad populum. Superiori cap. à n. 12. exprimitur verba D. Petri; Joannes vero ejus comes non fuit mutus, sed etiam prædicabat ad ipsas turbas, vel saltem ad partem earum. 2. Syrus. Arabicus. Tigrinus. Supervenerunt Syrus, surrexerunt in eos, Arabicus: Assiterunt eis. Tygurina Præsto fuerunt illis. Invidia, & odio commoti in Christum, Sacerdotes, & Magistratus Templi. Syrus, Præfecti Templi. Arabicus, Præfectus Templi; Lucifer. Pontifices Templi, Cajetanus, Dux Templi. Beda, Prator Templi. Circa Templum erat manus militum armata cum suo Duce, seu Præfecto ad custodiendum Templum, & ut omnia pacatè & absque tumultu fierent in eo de quo quæst. sequenti. 3. Sadducei. Et Sadducei, hos exprimit nominatim, quia hi, cum negarent resurrectionem mortuorum, ægre ferebant dici quod Jesus resurrexerat, utpote contra falsum eorum dogma, unde sequitur dolentes. Vers. 2. Dolentes quod docerem populum, Syrus curæ excandescentes essent, D. Chrylost. molestè ferentes. Arias, labore affecti quod docerent populum maximè de hoc dolebant Sadducei, ut modo dixi, Annunderent, editio Græca concordat cum nostra in Jesu, non, ut aliqui legunt ad Jesum, sed in ablativo. In virtute, ac nomine Jesu futuram nostram resurrectionem ex mortuis. Syrus, ex domo mortuorum. 5. Arabicus. Vers. 3. Et iniecerunt, Arabicus, posuerunt manus suas, & iniecerunt eos in carcerem propter turbulenta, scilicet quia prædicabant Christi resurrectionem jam factam, & nostram futuram; & hæc est prima Petri incarcerationio, postquam multæ aliæ secuta sunt; nam, ut notavit D. Paulus 2. Corinth. 11. n. 2. muneris Apostolici illustre insigne sunt vincula, carceres, & labores; erat jam vespere post horam nonam ab ortu solis, in quo claudi miraculum factum est, ut patet ex super. cap. 3. n. 1. & 6. Ecce causa cur eos posuerunt in custodiam; quia jam non erat tempus, ut in judicium adducerentur, eorumque causa ventilaretur. 6. Vers. 4. Multi autem eorum, qui audierant verba, & crederant. Audierunt cum fructu fidei. Et factus est numerus virorum quinque millia; diversa prorsum omnino ab illis tribus millibus de quibus fit mentio cap. 2. n. 41. Ut notarunt D. Basiliius in Psal. 115. D. August. tract. 39. Joan. D. Hieronym. in cap. 40. in Isaiam, & D. Chryostom. Beda, Lyranus in præfenti: ita fervida, & sancta Apostolorum prædicatione, ut in duobus diebus conversi ad fidem octo millia hominum, & cum D. Lucas hic dicat quinque millia virorum solum viros numerat, & valde probabile quod ibi essent multi pueri, ac mulieres, quæ conversa fuerint ad fidem valde devotus femine sexus.

QUÆSTIO I.

Quare Magistratus Templi dabatur?

A It Textus in præfenti quod loquentibus, seu prædicantibus Petro, & Joanne, ad populum supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi, seu, ut alii legunt, ut vidimus in expositione: Præfectus Templi, Dux Templi, Prator Templi, qui cum manu armata custodiebat Templum: ejus potestas erat pro reis capiendis, non vero pro eis judicandis, aut condemnandis, ut tradit Sigonius lib. 3. de republica Hebraica cap. 1. hic autem Magistratus erat ex militibus Romanis, ut tradit idem Autho, & Ioseph lib. 15. antiquitatum cap. 14. hic autem Magistratus erat in arce Antonina quæ erat fortissima, & amplissima juxta Templum, tum ad illius custodiam, tum ne Judæi de Templo arcem facerent, & rebellarentur à Romanis, ac proinde Magistratus hic erat tanquam Romanorum præsidium in Jerusalem. Hunc Magistratum habuit Judas secum ad comprehendendum Christum, D. Luc. 22. n. 12. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerunt ad se Principes Sacerdotum, & Magistratus Templi. Theophylactus, Euthymius Milites Templi, & cum Iudæi petissent à Pilato milites pro custodia Iosephi, ipse respondit: Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis, Matth. 27. n. 65. per custodiam intelligens hunc Magistratum militum Romanorum, qui erat deputatus ad custodiam. Ita Nicephor. lib. 1. histor. cap. 32. D. Chryost. homil. 83. in Matthæum. D. August. tract. 117. in Ioan. & alii, quos citavi tom. 6. in Evang. ad cap. citatum 27. Matthæi. Cur autem iste Magistratus militum ponebatur ad Templum? Communis est sententia cum Cajetano, quod iste Magistratus militum in Templo, ad quod cum multi homines ad orationem convenirent, erat ordinatus, ne quid in eo fieret turbulentum, indecens, ac profanum, minusque conveniens majestati, ac reverentiæ cultus Divini, qui supra vitam erat eis in majori æstimatione. Deporat David Psalmo 78. num. 1. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt Templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam, posuerunt morticina servorum tuorum, effecas volatilibus cæli, carnes servorum tuorum bestiis terre. In tam sæva, ac crudeli devastatione de quo magis dolet, ac lachrymatur? An quod Urbs sua Jerusalem fuerit devastata, ac solo æquata, an quod corpora eorum fuerint in frustra dilacerata, dataque volatilibus cæli, & bestiis terræ? minime, sed quod sanctum Dei Templum fuerit pollutum, hoc in exordio sui planctus, ac gemitus, tanquam de illo maximè se affligens, ac dolens commemorat, & ab illo, tanquam à principio omnium suorum malorum lachrymarum imbres incipiunt defluere. Theodoretus ibi ait: Sapienter preces exordiri docuit, non enim sua mala primum narrat, sed impietatem in divinum Templum. Ex Dei mandato eo ordine disponebantur filii Israel per desertum, singuli per tormas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum per gyrum Tabernaculum fœderis, Numer. 2. n. 2. Eo modo sic castra locata erant, ut milites cingerent Sanctuarium, quod ad illius honorem explanat Cajetanus dicens: Instutus est hujusmodi situs ad honorandum tabernaculum. Aliter etiam Mendoz, tom. 2. ad 1. Reg. cap. 4. n. 3. sic castra, & milites circumstant Sanctuarium, ait ipse

Pro defensione Templi visis contentenda.

Ut prius se ab hoste, quam Sanctuarium expugnari parerentur. Non tabernaculum fœderis tanquam dux itineris præcedat, sed sit in medio castrorum, & undique milites armati circumstant, quo si aliqua armata manus supervenerit, potius ipsi omni morti, ac periculo exponantur, quam Dei Sanctuario aliquid minus decens inferatur.

11. Postquam oratione Davidis misertus est Dominus populi, & dixisset Angelo percutienti: Sufficit tunc, contine manum tuam. 2. Reg. 24. n. 16. Cum cessasset pestilentia, in gratificatione tanti beneficii in area Jebusæi immolavit David victimas, & posuit ibi Altare holocaustorum; unde multo timore perterritus non audent accedere: Videns gladium Angeli Domini, 1. Paralipom. cap. 21. n. 3. Jam Angelus percutiens populum pestilentiam recondemat in vagina suum gladium, & cessaverat plaga: quid nunc iste Angelus cum gladio: Sciens respondet Urbanus Papa ad psalm. 50. & ait: Hæc est ara templi Sancti, juxta quam est Angelus ad custodiam. Dicam etiam, Angelus districto gladio ad percutiendum cum pestilentia populum ob grandia peccata, ut etiam Angelus cum gladio districto ad percutiendum Sancti Templi profanatores, ac irreverentias, quæ in eo perpetrantur, ex his gravis ruina, ac præcipitium cunctis minatur in gladio Angeli.

12. Ostendens Christus D. magnificentiam, & sublimitatem templi suis discipulis, ait: Videtis hæc: Amen dico vobis non relinquetur hic lapis super lapidem, Math. 24. n. 1. Tunc discipuli quaerunt: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi. Res sanè magna ponderatione digna: Christus D. locutus est de Templi ruina, ac desolatione: Unde ergo Apostolis venit in mentem totius Orbis dissolutio, ac devastatio; Et consummationis sæculi. Ratiocinatio Apostolica insinuat, exciso Templo orbem universum ruiturum, extremumque illius esse excidium, nec mundus potest stare religione loci sacri profanata.

QUÆSTIO II.

Quare in prima Concione convertit D. Petrus tria millia, in hac vero quinque millia?

13. Difficilis quaestio. IN prima Concione, quam D. Petrus habuit post adventum Spiritus sancti conversi sunt ad fidem circiter tria millia ut patet supra cap. 2. num. 41. hic vero quinque millia ad fidem reducit: In prima Concione erant duodecim Apostoli præsentis, hic vero tantum duo Petrus, & Joannes. Ad quaestionem

Respondetur primò ex D. Chryostom. homil. de virtute, & vitio, & ait: Modicum fermentum Apostolorum magnam farinam convertit, quia non quantitate numeri, sed gratia Spiritus, vim justis suam tenent. Conversio animarum, quæ est præclarissimum Dei donum, non venit à numero, ac quantitate prædicantium, sed à gratia Spiritus sancti, quæ trahit unumquemque prout vult, ac proinde totum ad Dei gratiam reducendum, ideoque duo tot convertunt.

14. Secundò: Alta Dei providentia convertit Petrus quinque millia, qui secum astabant. Futurum erat, ut Pontifices, ac Seniores populi manus iniecerent in Petrum, & Joannem, & ponerent in carcerem; quia cum haberent tot hominum millia ab adversariis se poterant facile tueri, ac defendi, sed noluerunt, quia virtus Apostoli magis patiendo,

sustinendo, ac sufferendo, quam pugnando; ac contradicendo persuaderetur, atque ostenditur. Sic ait Paulus 2. Corinth. 12. n. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in convalescentiis, in necessitatibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmus, tunc potens sum. Ac si dicat in labore, & angustia, & carcere nihil fortitudinis in me deperit, sed tunc Dei gratia fortior, ac potentior sum.

15. Tertio per manus Apostolorum quinque millia hominum satiata sunt panibus, quinque millia hominum interveto illorum sunt conversa ad fidem; ut notavit Divus Hilarius apud D. Thom. in Caten. & ait: Quia per hos erant divina gratia dona reddenda, idem autem edentium numerus intervenitur, qui futurus fuerat creditorum; nam sicut in libro Apostolorum continetur ex Israël populo in firmitate virorum quinque millia crediderunt. Idem docent D. Basil. homil. in psalm. 115. D. Hieronymus ad caput 40. Isaiæ, Divus Irenæus in cap. 1. D. Irenæi Isaiæ, & hic Beda, Carthusianus, & alii in illo stupendo miraculo apud Ioan. cap. 6. distribuentes panem satiaverunt quinque millia hominum, tot in numero illuminarunt, & in fide Christi instruxerunt, ut veri fideles in Christiana religione fierent. Hoc præstiterunt Apostoli tanquam primi patres, ac præfules Ecclesiæ, ut inde discant cæteri; quod si Rectores, ac Religionis majores doceant, ac illuminant, probitate motum, præbeant etiam panem, & alimenta, quibus necessario humana vita indiget.

16. Ioseph suæ præclaræ dignitatis magnum indicium repræsentatum agnoscens ait fratribus suis: Vidi per somnium; putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum. Genes. 37. num. 7. Postea vero aliud vidit somnium, & ait: Vidi quasi Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me. Maximè ponderatione dignissimum, quod præfagium sui Principatus indicatur Ioseph manipulis, Sole, & Luna ac Stellis, quæ in Cælo cum manipulis apparent, Quæ consurgunt in terra, quænam combinatio datur in Sole, & Luna cum tritici manipulo? In Principe, ac Gubernatore multum per omnem modum; quia si ipse fulget ut Sol & Luna, ut suos illuminet, & dirigat in sana doctrina, etiam providentia consurgat, ut sui non famescant, sed panem, & alimento abundent. Ad hoc respicit Hamerus in præfenti: In signo principatus manipulus consurgens.

17. Quarto in prima Concione post adventum Spiritus sancti cap. 2. solum quidam obmurmurantes dixerunt: Quia multo pleni sunt isti, at hic in præfenti totus Republicæ Senatus se opposuit contra Apostolos; Seniores, & Magistratus populi iniecerunt manus in Apostolos, eosque in carcerem recluserunt, bis advocati sunt in Concilium, & gravibus minis comminati sunt eos, ne ultra in nomine Christi prædicarent; tunc vero inter tot, oppugnantur ac tantas contradictiones, ac contrarietates, quinque millia ad fidem convertunt, multo plures, quam in alia concione; quia quanto plures adversitates, ac tempestatum impetus insurgunt in Apostolicos viros, ut eos dejiciant, & opprimant, tanto magis ipsi crescunt, & augentur, atque uberiores faciunt fructus; Ecclesia oppositioibus non opprimitur, ac dejicitur, sed illis tanquam alis magis elevatur, ac sublimatur. D. Hilar. lib. 7. de Trinit. ad initium sic ait: Proprium Ecclesiæ est, tunc vincat, cum ladiatur, tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur.

18. Ab hæc præfenti historia non discedo: dicitur in 1. & 2. vers. hujus capituli, quod videntes Seniores, & Magistratus,